

significassent, haberi gratias; omni officii genere cum Pontifice, quo causam eorum juvare possit, usurum: nihil magis cupere, quam post tot turbas ac dissensiones tandem amplissimo atque nobilissimo regno pax tranquillitasque affulgeat; ut, prius in vigore recepto, hostibus terrori, amicis ac fœderatis securitati esse possit.

1589

Quatriduum Lucemburgius Venetiis commoratus, quinto idus decembris Romam iter intendit, torque aureo decem pondo a Senatu donatus. Per Mantuanos in Hetruriam cum pervenisset, Ferdinandum Magnum Ducem convenit, qui Principum literas tantum accepit, Navarræ vero renuit. Idem a Mantuano factum, eo consilio, ut ambo a Pontifice gratiam inirent, quem per suos oratores, quo pacto cum Lucemburgio egissent, docuere. Romam cum accessisset, quæ causæ Principes, ut Navarræ Regi accederent, impulerint, Pontifici exponit. Prudenter, nulla primo congressu Regis Navarræ mentione habita, de religione pertractat, de qua postea opportune transegit; quam facile ad prisca sacra perduci Rex possit, ostendit: prompte illum Concilii decretis obtemperaturum testari; moneri docerique petere: momento fere ab ingenti periculorum mole, armis, cædibus, internecione Apostolicæ Sedi deditissimum Christianissimumque regnum, quod saepius pro ejus amplitudine & dignitate arma induerat, eripi posse. Hæc cum Pontifice Lucemburgius. Ac, ne quid intentatum relinquat, Camillæ, Xysti sorori, quæ plurimum apud fratrem auctoritatis pondus habebat, significari curat: si quis ad Navarræum erudiendum in Galliam mitteretur, absque dubio catholicam religionem suscepturnum. Ceterum Pontifex in gravissimo negotio, in quo magna christianæ reipublicæ momenta vertebantur, varias in partes trahebatur: hinc fœderati una cum Hispanis sollicitabant; inde Galli Regi addicti urgebant. In ea rerum perplexitate cunctatione moraque utebatur, tractu temporis accidere aliquid posse sperans, quo negotium discuteretur, faciliorque via ad consilia capienda expediretur.

Ferdinandus
Hetruriæ & Man-
tuanus Du-
ces Heinrici
literas reci-
pere re-
nuunt.

Lucembur-
gii ad Pon-
tificem ex-
positio.

Inter hæc Maynus Cardinalem Borbonium carcere inclusum, Carolum decimum vocatum, Galliæ Regem renuntiari curat; auri argenteique monetam, inscripto ejus nomine, cudi

Card. Bor-
bonius a
Maynus Rex
vocabatur.

H. Mauroceni T. III.

G 3

jubet;